



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

D. Abbas S. Nicolai, Festiuitatis Præsentationis S. Mariæ Virginis institutor primus. cap. CVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

lus subripere possit, quæ talis est ac tanta, ut parem ferè in terris non habeat, ob suauissimos fructus qui ex huius deuotissima Antiphona recitatione, & decantatione, in Ecclesia sancta Dei nati sunt: ut legere est in historiis RR. PP. Prædicatorum Ord. S. Dominici; speculo exemplorum; Martialis & aliis miraculorum S. Mariæ Virginis libris. Putatur à Tritemio, & aliis suis sequacibus fuisse monachus sancti Galli, quorum opinionem nequaquam admitto: in MSS. enim, & ultimo chronico excuso an. 1385. monachus Augiensis ubique vocatur, & ex eiusdem Chronici locis aliquot recte colligi, ac comprobari id posse uidetur; Ut sub anno Domini 1048. ubi ait, Imperator Augiam nostram ingressus: nouam s. Marci Euangelistæ patroni nostri basilicam: & infra, festo S. Marci apud nos acto, & c. item sub anno 1053. ait, Vuerinharius frater meus Augiensis monachus, & c. Sunt & alia, quæ Augiensem monachum, et non Sangallensem, fuisse testantur, sed hæc dixisse sufficiat.

D. ABBAS S. NICOLAI:

Festiuitatis Præsentationis S. Mariæ Virginis,
institutor primus.

qui

Constituit diem solemnem in mense octauo, in similitudinem solemnitatis. 3. Reg. 12. Cap. CVI.



NON prætermittendus mihi uisus est licet nomine careat, Abbas ille cœnobij S. Nicolai in Normandia, ordinis Diui Patris Benedicti, qui Abbatis habitu, Præsentationem Diuæ Virginis Mariæ in tabula depictam manibus tenentis, cuius festi auctor primarius extitit, ultimo huius Rami, necnon & totius Arboris loco conspicitur. Instituta autem fertur temporibus Caroli quinti Francorum Regis, anno Domini 1375. eadem ferè de causa, & eodem miraculi genere, quo Conceptionis eiusdem festum diem ab Anselmo Priore, in superioribus institutum diximus. Recepta igitur hæc festiuitas ex huius Reuerendi Abbatis instituto primum in Galliis, ad Saxones postmodum transit; mox ad Siculos: demum & a summis Pontificibus approbata, etiam his nostris temporibus an. 1585. a Sixto V. an. sui Pontificatus primo, diplomate roborata est, & ut ubiq; terrarum obseruaretur præceptum. Hæc ex legenda hist. Præsentationis, quæ extat apud nos MS. per manum fratris Aegidii Bethuniensis, quodam mei in monastica disciplina præceptoris.

EPI-